

www.e-rara.ch

Joh. Henrici Heideggeri seder shel miqra

Heidegger, Johann Heinrich

Tiguri, M DC LXXXI

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-88227>

Serenissimo principi et domino, dn. Carolo, comiti Palatino ad Rhenum, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

DEDICATIO.

*SERENISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO, DN.*

CAROLO,
COMITI PALATINO
AD RHENUM, S.R.J. ARCHI-
THESAU RARIO ET ELE-
CTORI, DUCI BAVA-
RIÆ, &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.



Principem bo-
num, PRIN-
CEPS ELE-
CTOR SE-
RENISSIME,
Dei immortalis T.O.M. do-
num esse, consentiente ore
Christiani profitentur om-
nes. Si enim, quod Divina
oracula liquidò testantur, E-
jus authoritate, nutu & au-
spiciis gubernaculis admo-

DEDICATIO.

ventur Principes universi ; & Reges mali eodem irascen-
 te proveniunt ; Principem
 bonum & à Deo esse, & gra-
 tiæ ac munificentiaë Ejus, ceu
 munus liberalissimum, acce-
 ptum unicè referendum ef-
 se , pii omnes humili grató-
 que animo agnoscunt. Ne-
 que ea Christianorum dun-
 taxat, quibus loetissima est o-
 raculorum copia, sed Sapien-
 tum etiam hujus mundi con-
 cors professio est. Nam ἐν Διὸς
 Βασιλῆες *ex Jove Reges Sapien-*
tiaë Patri Homero censentur.
 Regem bonum μέγιστον καὶ Θεῶν
 Δωρον *maximum & Divinum*
bonum Plutarchus in Numa
 prædicavit. Cajus quinetiam
 Cæcilius

DEDICATIO.

Cœcilius Plinius Secundus
 Trajanum Augustum lauda-
 turus , ullum aut præstabi-
 lius , aut pulchrius Deorum
 munus esse,quàm castum &
 sanctum,Diisque similitimum
 Principem, negat. Talis cum
 non occulta quadam vi &
 potestate fatorum, sed Divi-
 na utique, certaque & gra-
 tiosa destinatione ac provi-
 dentia, Serenissime CARO-
 LE, Princeps Elector, Reipu-
 blicæ Christianæ, imperii
 non ita pridem clavum re-
 cipiens, obtigeris ; gaudere
 meritò impensissimè, gratu-
 lari effusissimè, & vota ac bo-
 na omnia conferre certatim
 boni omnes, Maximi, Me-

DEDICATIO.

dioxumi , Infumi visi sunt.
Eandem ob causam ego, mi-
nimus omnium, denuo S. C.
T. publica etiam scriptione
alloqui, meque adeo gratu-
lantium coetui miscere, vota
flagrante animo concepta
proferre, & monumento e-
tiam quodam Operis Sacri,
quod si non ingenio & tra-
ctatione, infra mediocrita-
tem consistente; at certe ar-
gumento sanctissimo se Sum-
matibus etiam veri & vivi
Dei cultoribus, atque inter
illos Tibi maximè, PRINCI-
PUM OPTIME, qui Sacra
Biblia palladii unici, delicia-
rumque omnium loco ha-
bes, commendare potest, te-

stificari

DEDICATIO.

stificari minimè dubitavi. Equidè misericordiæ Dei immensæ haud ambiguum argumentum pii omnes meritò interpretantur, quòd difficilissimis hisce & planè exulceratis temporibus in Te, fasces imperii non forte vel forte quapiam, sed ipsa nascendi lege occupante, Populus obnoxius non tam Dominum, quàm Patrem Optimum: Ecclesia Nutritium fidelissimum integerrimùmque: Patria libertatis antiquæ Tutorem Vindicemque fortissimum: denique Christianus orbis melior præsidium quoddam ornamentùmque amplissimum amplectitur.

DEDICATIO.

Ferant alii verissimis dignissimisque laudibus ad Cœlum usque *tot Regum ac Principum sanguinem, illum serena frontis honorem, illam placidi oris Majestatem & obviam omnibus humanitatem*; addo etiam mores in universum niveos, Germanum pectus, sapientiam fastigio huic convenientem, & eruditionem longè ultra mediocritatem provec̄tam, qualis vel infimæ fortis hominem humo attollere, & conspicuum noscibilemque reddere queat. Ast ego æmulatus exemplum illius, cujus nupcr non sine mœrore publico rebus humanis ex im-

proviso

DEDICATIO.

proviso exempti, operâ ad
 literarum & sapientiæ studia
 usus es, hanc unam præci-
 puâmq; S.C.T. laudem ad-
 scribo, quòd fragilitatis hu-
 manæ conscius, DEO Tuo
 omnem gloriam, vitæque
 Tuæ ornamenta reddis, &
 in publicæ munificentiae præ-
 conio Pietatem Tuam agno-
 scis. DEUS enim hanc Tibi
 piam, devotam, & vero sui ti-
 more subactam mentem
 inspiravit, ut palam profiteri
 non puduerit, NON INDE
 QUIETEM; non in fragili
 quadam arundine potentiae,
 honorum, aliorumque, quæ
 summo in pretio homines
 nil nisi terrena spirantes re-

DEDICATIO.

ponunt, quærendam esse *quietem* stabilem; sed intendendum animum oculosque in Cœlum, & fortissimum fulcrum reputandam esse veram Pietatem, virtutum omnium clarissimam. Absque qua est, fore scilicet, ut cœteræ virtutes non sint nisi externum ornamentum, quippe nunquam ex justa pectoris integritate prodituræ, sed ex intima superbia manantes, suas tantum laudes intenturæ, & in fragili gloria decus omne consumpturæ. Quam quietem, solidissimam utique, à sola Dei gratia expectandam cum sapientissimè sciscis, nihil abest, quin

cum

DEDICATIO.

cum Hieropsalte nostro in
 omni vita & morte, in ipsa
 pectoris medulla exaudias
 repetásque suavissimam vo-
 cem istam : *Revertere ani-
 ma mea in requiem tuam,
 quia Jehova tibi benefecit.*
 Eccujus verò in animum
 non profundè penetret acris
 illa feriènsque sententia :
*Cæterarum quidem rerum
 auspicia, quæ aliunde sumun-
 tur, exitu suo deficiunt. hoc u-
 num certissimum & sanctis-
 simum est, nihil auspiciari aut
 aggredi velle, nisi quod Deus
 jusserit.* Neque hæc magni-
 ficis duntaxat verbis adorna-
 re, sed rebus ipsis, calcato fo-
 lido scilicet illo, robustoque

DEDICATIO.

itinere pietatis, repræsentare magis etiam placuit, quando imperii habenas capeffens non tantum à Deo auspicia fumenda duxisti, certus illum per totius vitæ decursum ^{ἀρχήν καὶ τέλος} *ἀπάντων ποιῆν*, *principium & finem rerum omnium facere*; sed etiam consiliorum omnium rationes ad Divini præscripti amussim componere strenuè cœpisti, effecisti que adeò, ut **ORIENTEM** boni omnes efflictim amarent & venerarentur, mali verò **FUGERENT**, caputque piaculare impietas, scelera & profanitas passiva abscondere inciperent. Sic augurari videor congruen-

tissimè

DEDICATIO.

tissimè , magis magisque
 illum honoraturum Te ,
 quem promptè adeò hono-
 ras Ipse; futurúmque Christo
 per Te Regnante , ut CLA-
 RIUS INDE fastigium
 Tuum MICET , crescat
 potentia , mitescant hostes ,
 lætum & exoptabile incre-
 mentum capiat familia, gau-
 deant pupilli, præmiis meri-
 ta virtutésque coronentur,
 metu mali coërceantur; de-
 nique ut quemadmodum
 virtute, ita felicitate Inclyto-
 rum Majorum concedas ne-
 mini. Pietas enim ad omnia
 utilis est, & præsentis futuræ-
 que vitæ & felicitatis pro-
 missionem habet ; *atque,*

verba

DEDICATIO.

verba Divino spiritu prolata,
 cùm meliora & significan-
 tiora non suppetant, repeto,
ubi semel in animo adolevit,
illos secum fert felicitatis fru-
ctus, qui hominem verè bea-
tum fortunatumque effi-
ciunt. Faveat S.C.T. iterum
 iterumque precor, verus to-
 tius orbis Monarcha, Domi-
 nus JESUS, cui data est om-
 nis potestas in Cœlo & in
 Terra; detque proporro Ti-
 bi velle & conari, quæ sunt
 optima : conatus & res uni-
 versas bene fortunet ! *Deus*
ille Patrum Tuorum sit pro-
porro adjutor Tuus ! Omni-
potens ille benedicat Tibi be-
nedictionibus Cœli desuper,

benedi-

DEDICATIO.

*benedictionibus abyssi cuban-
tis infra, benedictionibus u-
berum & uteri! Sint am-
pliores benedictiones Tua,
quàm benedictiones Ma-
jorum Tuorum! Largia-
tur ille semper veram & coe-
lestem illam Sapientiam,
per quam Reges regnant, &
legum conditores justa de-
cernunt! Impleátque voto-
rum Tuorum mensuram, ut
scilicet TIBI MODO MI-
LITET, MODO DESTI-
NET ÆTHER! Denique
ubi expiraverit temporarium
hoc & caducum imperium,
nobilius longè, gloriosum &
immortale illud Regnum,
quod nulla vis convellere*

potest,

DEDICATIO.

potest, largiatur, quò suavif-
simè quandoque experiare
fructum sanctissimi Oraculi
Tui: SATIS EST FAVISSE
SUPREMA. Vovebam inti-
mo flagrantissimóque affe-
ctu, Tiguri, Helvetiorum
Metropoli, Kalend. Maji,
A.C. M DC LXXI.

*Serenissima Celsitudini
Tuæ*

Devotissimus

JOH. HENRICUS HEIDEGGERUS,
SS. Theol. D. & in Schola Tiguri-
na Professor.